



OBISPADO DE JÁEN
SECRETARÍA

Prot. N. 00780/2026-1332/25/I

Nº de Registro: 2026-154
ENTRADA: 01-04-2026

DECRETUM

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, cuius est omnia quae ad concessionem et usum Indulgentiarum spectant rite ordinare, ad augendam fidelium religionem animarumque salutem, vi facultatum sibi specialissimo modo tributarum a Sanctissimo in Christo Patre et Domino Nostro, Domino Leone Divina Providentia Papa XIV, Ministro fidei ac laetitiae nostrae, attentis precibus iam allatis ab Exc.mo Domino Sebastiano Chico Martínez, Episcopo Giennensi, occasione sollemnum in honorem Beatae Mariae Virginis v.d. "de la Cabeza" celebrationum quae, in octingentesimo eiusdem Apparitionis anniversario, a die IV Octobris MMXXVI usque ad diem VIII Decembris MMXXVII peragentur, de immensa Dei misericordia caelestibusque Ecclesiae thesauris benigne concedit plenariam Indulgentiam, suetis sub condicionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communionem et oratione ad mentem Summi Pontificis) a christifidelibus vere paenitentibus atque caritate compulsis lucranda, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint, si Nostrae Dominae "de la Cabeza" Basilicam-Sanctuarium urbis Illiturgis, praefatae Dioeceseos, ubi Deiparae Virginis imago piissime adservatur, necnon ipsam Giennensem Cathedralis ecclesiam vel quodlibet iubilare templum ab Exc.mo dioecetano Episcopo rite determinatum, in forma peregrinationis inviserint et ibi sacris ritibus devote interfuerint, praesertim sollemni Beatae Mariae Virginis peregrinationi quae magno cum concursu populi peragetur, vel saltem, coram coronata imagine Beatae Mariae Virginis "de la Cabeza", caelestis Patronae, publicae venerationi exposita, per congruum temporis spatium, piis considerationibus aut orationibus aliisque christianae pietatis operibus ad Dei gloriam vacaverint et pro pace et populorum concordia pias ad Deum preces contra hodiernas aberrationes effuderint, concludendis Oratione Dominica, Symbolo Fidei invocationibusque Beatae Mariae Virginis Reginae Pacis, Matris Misericordiae.

Senes, infirmi necnon eos curantes omnesque qui gravi causa domo exire nequeunt, pariter plenariam consequi poterunt Indulgentiam, concepta detestatione cuiusque peccati et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, si iubilare celebrationibus se spiritaliter adiunxerint, precibus doloribusque suis vel incommodis propriae vitae misericordiae Deo oblatis, se ipsos in tribulationibus consolando.

Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilior pro pastoralis caritate evadat, haec Paenitentia enixe rogat ut dioecesanus paenitentarius, cathedralis clerus, parochi et sacerdotes opportunis facultatibus ad confessiones excipiendas praediti, prompto, generoso et misericordiae animo, celebrationi Paenitentiae sese praebeant.

Praesenti pro hac vice tantum valituro. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae, ex aedibus Paenitentiarum Apostolicarum, die XXV mensis Martii, in Annuntiatione Beatae Mariae Virginis, anno Dominicae Incarnationis MMXXVI.

*Angelus card. de Donatis
Paenitentiarum Major*

*+ Christophorus Iosephus Nykiel
Episcopus tit. Velicensis, Refecto*